



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

I. Bischof Conrad von Pommern bestätigt dem Kloster Grobe (Usedom) seine Besitzungen, zu welchem auch Gramzow gehörig, im Jahr 1168.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

VII.

Die Klöster Granzow und Seehausen.

I. Bischof Conrad von Pommern bestätigt dem Kloster Grobe (Ugedom) seine Besitzungen, zu welchem auch Granzow gehörig, im Jahr 1168.

In Nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego conradus, dei gratia Secundus pomeranorum episcopus, omnibus tam presentis quam futuri temporis ueritatem et iusticiam requiruntibus. Constat et manifestum est cunctis luce rationis utentibus, nostrum esse et ad nostri pontificatus discretionem spectare, impietatis opera inhibere et improbare, pietatisque studia comprobare et quo ualemus munimine firmare. Ergo freti christi auctoritate cuius legatione in terris fungimur, simulque illius, cui dixit quecumque ligaueris super terram erunt ligata et in celis et cetera que sequuntur, quoscumque usus seu quecumque bona dominus Ratiboro cum pia conforte sua pribizlaua siue successores eius, Bogozlauus et Cazimerus, ecclesie sancte marie sanctique Godehardi in grobe dei nutu et pietatis affectu tradiderunt, fratribus ibidem secundum regulam sancti Augustini deo seruientibus priuilegio nostro confirmamus. Sunt autem hec. Ipsa ecclesia, in qua deo deseruiant, et villa grobe cum omnibus appendiciis suis, ante castrum vnum, decem marce de taberna annuatim et theloneum forense. Theloneum quoque de nauibus ante idem castrum in lacu magno transeuntibus. Item in eadem prouincia scilicet wanzloue, villa bresiz, villa minuchowe, villa Sikerina, singule cum appendiciis suis, scilicet agris et pascuis, pratis et piscium claufuris. In prouincia etiam eadem villa wresteuz cum alia terra quorundam sclauorum. In prouincia Grözwina villa doblouiz et in foro eiusdem prouincie decem marce de taberna annuatim. In prouincia Gozchowe villa Spaceuiz, villa dolpowe, villa Mireuiz, villa Coffozuwe, villa Proffizfouwe, villa Solathkeuiz, cum terminis earum cultis et incultis. In prouincia Scitene forense theloneum et taberna, tertia quoque pars uille Sclauboriz et villa corene. In prouincia quoque uera villa Gramfowe cum ecclesia et omnibus terminis ad ipsam villam quaquauerfum pertinentibus. Iuxta castrum Stetin super oderam uille due cum appendiciis suis Zelechowa et teplinine ante castrum viduchowa, super eandem oderam situm, tertia pars thelonii de omnibus nauibus, ibidem transeuntibus, et Piscatura in fluuio thiemnice. Dimidia quoque piscatura in torrente Cripinice, que pertinet ad villam Dambagore. In coluberch census salis de sartaginibus dominica die et ante ipsum castrum Sex marce de taberna et due domus ad qua-

tuor sartagine et in eadem prouincia due ville Poblote et Suelube et thelonium de ponte scilicet de uno quoque curru per eum transeunte duo denarii, et panis et de quolibet homine salem ibi coquente et per eundem pontem transeunte denarius cromatorum et ante ipsum pontem taberna et de alio ponte super ripam radua simile thelonium, et dimidius census lignorum, que uehantur per fluuium parlandi. In castro belegarde taberna vna et tercius denarius de thelonio plaustrorum ibidem transeuntium. Rursus in prouincia supra memorata Scitene super riuum Ribeniz villa vna cum omnibus appendiciis suis et loco molendini. In prouincia quoque uicina, que dicitur lessan villa Reuene cum terminis suis et Super riuum bebroa locus molendini. Item in castro pozdewolk ecclesia forensis cum villa una hudeffina. His bonis siue beneficiis etiam nos emulantes piam deuotionem beate memorie uiri Alberti predecessoris nostri adicimus omnem decimationem seu iusticiam, que nobis debetur in villis eiusdem ecclesie et perpetuo iure donando confirmamus ipsi ecclesie et canonicis in ea deo seruientibus. Si quis autem hec temerario ausu eidem ecclesie et fratribus secundum regulam sancti augustini et institutionem sancte premonstratensis ecclesie ibidem uniuersis infirmare, imminuere uel quocumque studio defraudare attemptauerit, sit anathema maranatha. Acta sunt hec super introitum fluminis vrensis, in presentia totius populi terre, convocati illuc ad concilium. Istis specialiter uocatis in testimonium. Domino Iaczone, Domino Bogozlao, Domino Cazimero principibus, Domino Wartizlao castellano de Stetin, Zauist castellano caminensi, Venzezlao castellano iulienfi, Gustizlao castellano vno-mienfi, Dirskone castellano diminensi et budowoy cognato eius, anno dominice incarnationis M^o. C^o. LX^o. VIII^o. Indictione II.

Gaffelbach, Kofegarten und v. Nebem Cod. Pom. Dipl. I. 60, 61.

II. Der Propst und das Capitel zu Gramzow wählen die Markgrafen Johann und Otto zu ihren Schirmvögten, am 9. Januar 1245.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, Johannes, dei gratia prepositus totumque Gramzowensis ecclesie capitulum omnibus in perpetuum. Cum corruptionis causa proprie tempus existat et ex tempore etiam cuncta senescant, senectusque obliuionem inducat, humana prouidentia, quod humanis uocibus ab uno eodemque propter sui corruptionem posteris insinuari non potuit, insinuandum literarum testimoniis dereliquit. Hinc est, quod notum esse cupimus uniuersis tam presentibus quam futuris, Quod monasterium nostrum Gramzowe in honore beate virginis sanctique Iohannis ewangeliste in maxima solitudine quondam erectum maximis nichilominus miseris atque laboribus ab antecessoribus nostris ad incrementum salutis deductum, nostris heu temporibus ab impiis et inuoluntariis non tantum domum ipsam, sed et totam prouinciam per rapinas preda et indebitas exactiones diripientibus, cum non esset hiis temporibus, qui se murum pro domo domini opponeret confidenter, constabat tam in temporalibus quam in spiritualibus, sine spe reformationis, penitus fuisse collapsum. Quapropter animo consternati ad auxilium undique respicientes, cum non inueniretur alius, qui uoluntatem cum possibilitate haberet nostrum defendere monasterium de incurfionibus seu direptionibus malignantium, quorum quidam ex amicis eidem facti fuerant inimici, usi consilio faniori prouidaque deliberatione, defensionis ac protectionis gratia illustres principes dominos